

scientia naturali physica; est *mathematica*, si ideae repraesentant rerum quantitatem (numerum, motum, figuram, formam, situm), abstrahentes etiam a qualitibus sensibilibus (sensibili proprio), ut fit in mathematica, e. g. conceptus puncti mathematici, unius, duplicis, trinae dimensionis, trianguli, numerorum etc.; est *metaphysica*, si ideae exprimunt rerum naturam, quae est subiectum et causa qualitatum et quantitatis sensibilis. Haec abstractio proprie constituit scientiam rationalem philosophicam. Quae si fit immediate circa sensationes (abstractio directa, primitiva), oriuntur *ideae primitivae*; si vero has iterum in notas resolvit metaphysice coniunctas, e. g. homo-animal rationale, habentur *ideae factitiae* (abstractione reflexiva, praecisione obiectiva), quae iterum pro ratione abstractionis plus minus perfectae sunt vel *concretae*, e. g. homo, vel proprie *abstractae*, e. g. humanitas (cfr. dialect. p. 19). Ergo ideae nostrae sunt abstractae.

b) *Ex absurdis*: Quodsi ideae nostrae non essent abstractae, 1^o non posset esse scientia physica, quae singulas qualitates sensibiles sub ratione communi: coloris, lucis, electricitatis, ponderis, gravitatis etc. considerat; 2^o neque scientia mathematica, mechanica, astronomica, quae quantitatem, numerum, motum etc. in genere tractat legesque statuit universales et ex eis phaenomena explicat; 3^o neque scientia ulla rationalis, praesertim vero nulla philosophia esse posset, quia scientia est cognitio per causas; causae autem phaenomenorum sunt rerum naturae legesque naturae nihil aliud sunt, nisi modus constans et uniformis agendi, qui in rerum natura saltem metaphysice immutabili fundatur. 4^o Immo nullum iudicium fieri posset, quia omne iudicium debet habere saltem praedicatum universale, et praedicatum per identitatem multis eodem modo tribuitur. Si vero ideae non sunt nisi sensationes, exhibent tantum qualitates singulares concretas inter se diversas, quae non licet eodem modo et per identitatem de pluribus praedicare. Deberet dici: Homo est complexus coloris, quantitatis etc., quod est absurdum.

Prob. II. p. minoris: Sensatio non repraesentat modo abstracto.

Quamvis enim quivis sensus obiectum sibi proprium sine obiecto aliorum sensuum e. g. visus colorem sine duritie vel sono percipiat, nullus tamen sensus potest abstrahere: a) a subiecta materia, ab existentia et modo individuo obiecti proprii; sic oculus non videt colorem nudum et abstractum, sed rem coloratam modo individuo physice existentem; b) nullus sensus potest a sensibili proprio abstrahere; est enim tota ratio perceptionis sensitivae; c) neque a sensibili communi i. e. certa quantitate, quae est substratum omnis qualitatis sensibilis. d) A fortiori nullus sensus extensionem unius dimensionis, vel punctum mathematicum, vel numerum irrationalem e. g. π , $\sqrt{3}$ concipere potest; e) Denique patet, sensus non posse res, quae non existunt, percipere vel quae physice idem sunt distinguere, e. g. homo et humanitas. f) Sensationes igitur, non exhibentes nisi qualitates rerum et quantitatem, non possunt per identitatem praedicari; secus dicendum esset: Homo est aliquis color coniunctus cum certa magnitudine etc., sed dicitur: Homo est substantia, vivens, sensitiva, rationalis etc.

Neque sufficit *imago communis phantastica* ad ideam universalem explicandam, ut Locke, Herbartiani¹⁾ etc. arbitrantur; nam a) etiam imago phan-

¹⁾ Ita Drbal, Herbartianus, Lehrbuch der empirischen Psychologie, p. 159

tastica, quamvis confusa, semper tamen aliquo modo concreta et sensibilis remanet; nam phantasia primarie *reproductiva* nihil potest repraesentare, quod sensus externi non renuntiaverint. Hoc ipsum testatur *conscientia*; nam si e. g. phantasia triangulum repraesentat, semper est certae alicuius extensionis; non potest exhibere triangulum, quod neque sit rectangulum, neque obtusangulum neque acutangulum; *conceptus* autem trianguli abstrahit perfecte ab omni certa extensione, certaue specie angulorum. Quod etiam Wundt advertit¹⁾: „Si volumus nobis repraesentare conceptum trianguli, repraesentamus nobis triangulum aliquod individuale . . ., ac simul coniungimus cogitationem, nos ad hoc solum, quod adsint tria latera et tres anguli, attendere, ab omnibus autem aliis attributis nos abstrahere velle.“ Adest igitur *praeter* imaginem phantasiae cogitatio,²⁾ i. e. conceptus mentis, ac proinde conceptus differt ab imagine phantasiae. b) Unde imago communis non posset praedicari de omnibus individuis, quia adhuc aliquo modo est concreta, singularis, sensibilis, materialis, neque repraesentat nisi qualitatem. Neque ut confuse continens omnia inferiora praedicari potest, quia praedicatum in iudicio non secundum extensionem, sed secundum comprehensionem praedicatur. Denique imago phantastica ad summum *similis* esset rebus; conceptus autem per *identitatem* praedicatur. c) Ex sententia adversariorum imago illa communis fieret per comparisonem representationum phantasiae, ita ut quod ipsis commune esset, ut Herbart vult, vel qualitas praeeminens, ut sentit Wundt, munere conceptus fungeretur. Atqui 1^o tunc intellectus deberet percipere immediate phantasiae imagines, ut eas compararet, quod impossibile est; 2^o non posset conceptus formare, nisi plures iam praecessissent alicuius rei vel rerum eiusdem speciei perceptiones sensuum et phantasiae; constat autem, nos illico formare conceptum rei *semel* perceptae. Porro tunc saltem ideae primitivae deberent qualitates sensibiles exprimere, quod et earum naturae et etymologiae verborum repugnat. 3^o Immo ut imago illa communis formari posset, deberet conceptus rei iam *praecedere*; ut enim res similes possimus comparare, debemus earum similitudinem prius percipere. Atqui rerum similitudinem percipere idem est, quod percipere rationem aliquam obiectivam communem, in qua res illae similes conveniunt, quamvis in aliis differant. Hanc autem sensus percipere non possunt. Ergo debet praecedere intellectus operatio, qua, quid rebus imaginatione repraesentatis sit commune,

et 161: „Die Gemeinbilder gehen in Begriffe über . . . Im Denken werden Vorstellungen ausschliesslich ihrem Inhalte, ihrer Qualität nach miteinander verknüpft . . . Sie (die Begriffe) sind das Resultat der Hemmung des einer Vorstellungsgruppe oder auch einem Gemeinbilde anhängenden Ungleichen.“ Neque Müller, System der Philosophie, in hac re satis caute loqui videtur; cfr. ‚Pastor bonus‘, 1898, p. 577.

¹⁾ Log. 1893², I, p. 47, quare ipse cum Berkeley reicit imaginem communem. Item Paulsen, Einleitung etc. 1901, p. 444.

²⁾ Quod bene ostendit Taine, licet positivista, exemplo myriagonis (Tausendeck), quod nemo phantasia sibi repraesentare potest, cuius autem conceptus omnino clarus et distinctus est (De l'intelligence, I, 37 sq.) Quid quod saepe intellectus phantasiam vel sensus corrigere debet e. g. *corpus* stereometricum in *planitie* duarum dimensionum delineatum?

percipiatur, i. e. idea universalis debet praecedere imaginem communem. Imago igitur communis non praecedit, sed *subsequitur* conceptum mentis eumque quodammodo adumbrat. 4^o Quod praesertim manifestum est in phantasia *productiva*, quae imagines olim habitas inter se comparatas modo novo componit ac proinde reflexionem et iudicium supponit, quae non spectant ad ullum sensum. Phantasia autem *schematica* exhibet signa e. g. verba, quae nullum nexum naturalem habent cum imagine illa phantastica, ex qua mens olim ideam abstraxit. Quamvis verba sint diversissima, idem tamen saepe exprimunt, et hoc modo differentia essentialis inter imaginem phantasiae et ideam per eam expressam aperte dignoscitur; nam si conceptus nil esset nisi imago communis sive verbum, mutato verbo etiam eius sensus, i. e. idea mutaretur. Constat autem linguas diversas idem diversis verbis (synonyma) exprimere et eadem verba (homonyma) saepe diversa significare. *Ergo* idea non est confundenda cum imagine communi phantasiae.

3. *Ex absurdis*: Si ideae nihil essent nisi sensationes: A) *scepticismus* induceretur; nam a) in sententia sensistarum nos immediate non percipimus ipsa obiecta, sed affectiones nostras sensitivas et subiectivas. *Atqui* hae affectiones subiectivae saepe diversae sunt apud diversos homines, e. g. iudicium de distantia, de calore, frigore etc., et nonnunquam indigent correctione, quod ad sensus non spectat. *Ergo* non posset esse veritas certa et obiectiva; quivis homo esset mensura veritatis, neque ullum esset criterium obiectivum certitudinis, neque veritates universales admittendae essent. b) Ut ex affectione subiectiva perveniremus ad obiecta externa cognoscenda, deberet adhiberi principium causalitatis. *Atqui* in sententia adversariorum conceptus causae vel non est obiectivus, vel causa ipsa non percipitur, ac proinde etiam principium causalitatis vel reicitur vel non tanquam certum admittitur. *Ergo* sensistae, si ideas derivant ex sensatione sola, non possunt esse certi de rerum existentia. — Unde non est mirum, Hume, innixum theoria Lockei, scepticismum universalem proclamasse.¹⁾

B. Omnis *scientia* destrueretur: nam a) scientia est cognitio rerum per causas. *Atqui* sensus rerum causam percipere nequeunt. *Ergo* . . . b) Positivistae praesertim gloriantur, methodo sua scientias naturales miros fecisse progressus; sola phaenomenorum observatione et inductione adhibita, leges naturae esse inventas. *Atqui* observatio phaenomenorum supponit ideas universales, quibus phaenomena ad certam speciem individuorum reducuntur; inductio autem, ut sit legitima et certa, supponit principium causalitatis, e. g. leges Kepleri et Newtonii, quibus cursus siderum continetur. Ita scientiae naturales supponunt abstractionem physicam, mathematica abstractionem mathematicam, metaphysica abstractionem metaphysicam (primitivam i. e. directam et reflexam: ontologicam, logicam, psychologicam). Cfr. supra dialect. p. 14. *Ergo* non admissis ideis universalibus, necessariis, immutabilibus,

¹⁾ Consentit Du Bois-Reymond positivista, l. c. „*Der Pyrrhonismus* in neuem Gewande, auf den sie *unausweichlich* (die „wahre Naturphilosophie“) hinausführt, sagt vielen nicht zu. Mögen sie es doch mit dem einzigen andern Ausweg versuchen, dem Supernaturalismus.“ Vocat autem supernaturalismum omnem cognitionem experientiam transcendentem, praesertim causalitatem animae spiritualis et Dei existentis.

a sensationibus essentialiter distinctis, ne physica quidem scientia, et a fortiori nulla scientia mathematica, nulla philosophia esse posset.

C) Omnis *moralitas et religio* fundamento privaretur; nam in sententia Sensismi et Positivismi non potest probari, ipsis fatentibus: a) animae nostrae spiritualitas et immortalitas; b) existentia legis moralis eiusque obligatio sanctioque in vita futura. c) Dei existentia eiusque relatio ad homines. *Atqui* hae veritates teste historia pro vita humana morali et religiosa omnino sunt fundamentales. *Ergo* . . .

Obi: 1. Ideae non sunt nisi sensationes; nam sensibus deficientibus deficient ideae; dist.: ideae factitiae — nego; ideae primitivae, subd.: quia sensatio est conditio et causa materialis idearum — conc.; quia est causa earum formalis sive efficiens — nego.

2. *Atqui* est causa formalis sive efficiens, quia ideae idem obiectum exprimunt, quod sensus; dist.: idem obiectum materiale — conc.; idem obiectum formale — nego.

3. *Atqui* exprimunt idem obiectum formale; nam nil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; dist.: fuit sive per se sive per accidens prius in sensu — conc.; solum per se — nego. Sane obiectum idearum est in sensatione, ita tamen ut sensus illud non apprehendant.

4. *Atqui* sensus debent obiectum idearum ipsum i. e. per se percipere; nam intellectus non nisi mediante sensu obiectum suum attingit; dist.: si intellectus non esset facultas superior sensu — trans., quum sit facultas superior, plura apprehendens, quam sensus — nego.

5. *Atqui* non potest in sensatione naturam rei sensibilis apprehendere; secus enim essentiam rerum concretam et individualem deberet percipere; dist.: si esset facultas intuitiva — conc.; quum sit abstractiva — nego.

6. *Atqui* etiam sensus abstrahunt; dist.: a certis notis sensibilibus, e. g. oculus non videns sonum, duritiem — conc.; abstrahunt ab omni qualitate sensibili vel eas modo abstracto et universali apprehendunt, sicut intellectus — nego.

7. *Atqui* etiam sensus modo universali apprehendunt e. g. oculus simul plura obiecta; dist.: per species singulis rebus proprias — conc., apprehendunt plura obiecta sub specie communi — nego.

8. *Atqui* saltem phantasia modo abstracto et imagine communi repraesentat; dist.: repraesentat modo obscuro, qui nonnunquam cum repraesentatione conceptuum confunditur, quique ex natura nostra simul rationali et sensibili explicatur — conc.; repraesentat modo vere universali et abstracto, sicut conceptus — nego.

9. *Atqui* conceptus nihil sunt nisi sensatio aliqua propter similitudinem ad multas res similes applicata, (e. g. arbor = planta ex trunco erecto et ramis extensis) mediante associatione cum illis rebus plus vel minus inseparabiliter coniuncta (St. Mill, Spencer, Taine) et hereditate invincibiliter facta (Spencer), quemadmodum etiam principia generalia hoc modo formata subiective necessaria sunt, saltem quoadusque nostra organisatio perdurat.

Dist.: 1^o conceptus primitivi formantur ex comparatione plurium rerum similium — nego; factitii, scientifici — subd.: ex sola rerum similitudine (per analogiam) — nego; per cognitionem abstractivam naturae rerum, iterum

dist.: ita ut sensus materiam praebeant — conc.; ita ut obiectum intellectus non essentialiter differat a sensatione — nego.

dist. 2^o Conceptus et principia inde deducta habent subiectivam simulque obiectivam necessitatem — conc.; solum subiectivam — nego.

10. Atqui cognitio per ideas universales et abstractas esset nobis inutilis ad res concretas, individuales, existentes cognoscendas ac proinde inferior cognitione rerum per sensus; dist.: ad *scientiam* acquirendam — nego; nam scientia teste Aristotele (anal. post. I, 33) non est nisi de natura rerum universali; ad res singulares cognoscendas ut singulares — subd.: sine relatione ad sensationes — trans.; relatae ad obiectum sensationis — nego.

11. Atqui historia ostendit, tunc solum scientias ortas esse, quum homines, metaphysica abiecta, experientia usi sunt (Comte); dist.: scientiae vere rationales (e. g. mathematica) — nego; naturales, subd.: ex sola experientia sensuum — nego; adhibitis principiis metaphysicis et ideis universalibus adhibitis — conc. — Ceterum eadem historia docet, viros in scientiis naturalibus excellentes plerumque etiam religioni et scientiae metaphysicae fuisse deditos. Cfr. supra p. 256; porro Mercier, Critériol. p. 274 sq.

§ 2. De Traditionalismo.

Expositio: Sensismum et rationalismum oppugnantes, in Gallia orti sunt philosophi, qui dicuntur Traditionalistae. Docebant enim, rationem humanam ex se incapacem esse veritatis universalis certo inveniendae, sed institutionem humanam necessariam esse, ut mediantibus verbis ideae in nobis excitarentur. Primum quidem hominem a Deo immediate institutum esse, lingua communicata; alios autem homines per traditionem veritatis in genere humano. Diversas tamen traditionalismus induit formas. Cfr. supra p. 233 sq.

1^o *Huetius* († 1721), reiecta sententia Cartesii de ideis innatis, mentem nostram putat imbecilliolem esse quam ut veritatem certam invenire possit; hanc igitur ex sola fide nos habere.

2^o *Rigidiores*: duce *de Bonald* († 1540), omnes omnino ideas et veritates universales nobis per institutionem tradi, vel potius per verba in nobis excitari docent.¹⁾ Eum praesertim secutus est *de Lammenais* († 1854),²⁾ qui sensum communem (la raison générale) tanquam fontem et criterium veritatis statuit (sententia 1834 damnata ab ecclesia); *Bautain* († 1867) vero revelationem divinam.

3^o *Mitigati* vel cum *Bonnetty* († 1879) solas veritates morales et religiosas ex traditione deducunt, vel cum *Ventura* († 1861) saltem ad ideam *claram et distinctam* rerum singularium e. g. Dei, animae spiritualis, obligationis moralis acquirendam ad traditionem humanam et divinam recurrunt. Alii duce *Ubaghs* Lovaniensi auctoritatem saltem ut conditionem ad mentem excitandam necessariam statuebant. — Omnes tamen concedunt, rationem

¹⁾ „Recherches philosophiques sur les premiers objets des connaissances morales, 1817, 2 vol. „L'homme pense sa parole, avant de parler sa pensée;“ cfr. Législation primitive, t. I, ch. 2, p. 28 sq.

²⁾ „Essai sur l'indifférence en matière de religion“, 1818—1823, 4 vol.

humanam veritates iam *revelatas* posse demonstrare, explicare indeque novas deducere cognitiones.¹⁾

4^o *Günther* († 1861), distinguens realiter inter spiritum et animam in homine, et inter intellectum et rationem, illum putavit posse quidem sensationes sub ratione communi cogitare: „Gedanken vom Allgemeinen der Erscheinungen“, rationem autem earum causam: „Realgrund der Erscheinungen“; hominem ad conscientiam sui non pervenire censuit, nisi ab alio homine *verbo* excitetur; nam aequale non nisi ab aequali excitari posse. Supposita conscientia, rationem per principium causalitatis in actibus suis internis perceptae ad cognitionem rerum extra nos pregressi.²⁾

Thesis II: Ideae nostrae primitivae non oriuntur ex traditione humana vel divina.

St. qu. 1^o Non negamus, multas ideas nobis per institutionem humanam tradi, eamque esse necessariam, ut vitam socialem agamus et ad statum cognitionis nobis connaturalem perveniamus; sed affirmamus, ideas primitivas nullo modo ex traditione humana oriri, sed ab ea supponi.

2^o Neque infitiamur, revelationem divinam nobis *moraliter* necessariam esse ad veritates morales et religiosas *omnes, facile, certo* cognoscendas; sed negamus, traditionem humanam et revelationem divinam requiri ad illas veritates *primo et simpliciter* cognoscendas.

Prob. 1. Ex natura verbi: Verbum est signum idque arbitrarium conceptus, quia, teste historia et experientia, non est nexus necessarius inter conceptus nostros eorumque expressionem oralem. *Atqui* ut signum intelligatur, praesertim si est arbitrarium, necesse est, ut res signata eiusque connexio cum signo iam cognita sit. *Ergo* verbum iam supponit ideam per ipsum expressam.³⁾

2. *Ex experientia*: Constat, nos audientes linguam ignotam nihil intelligere; et infantibus, quando instituuntur, ut verba intelligant, vel obiecta ipsa ostenduntur vel ideae iam notae in mentem revocantur; patet igitur, verba supponere conceptus, non vero primo excitare.

3. *Ad hominem*: Concedunt etiam rigidiores Traditionalistae, homines posse ratione sua veritates traditione iam manifestatas demonstrare, explicare, aliasque inde deducere; mitiores etiam consentiunt, nos posse veritates alias naturales praeter morales et religiosas vi rationis invenire; immo has quoque, licet non certo, investigare. *Günther* admittit, intellectum posse sensationes sub ratione aliqua communi repraesentare. *Atqui* si ratio nostra capax est, veritates

¹⁾ Cfr. Al. Schmid, Erkenntnislehre II, 364 sq.

²⁾ Cfr. Kleutgen, l. c. I, nn. 85 et 109.

³⁾ Cfr. S. August. de magistro, c. 10 et 11; S. Thomam, quaest. disput. de veritate qu. 11, a. 1.

intelligibiles manifestatas probandi aliasque inde deducendi, si valet veritates naturales certo cognoscere, nulla est ratio, cur non etiam ea quae ad religionem et mores spectant, inveniatur; nam media et principia cognoscendi in utroque casu eadem sunt: vis naturalis rationis, essentia rerum immutabilis, principium contradictionis et causalitatis. Et intellectus si potest in verbis sensibilibus conceptum invisibilem latentem percipere, nulla est ratio, cur non valeat in rebus sensibilibus rationem essentiae invisibilem apprehendere; neque illa inter intellectum et rationem a Günthero statuta distinctio realis est admittenda. Ergo ratio nostra ex se illas veritates omnes invenire potest.

4. *Ex absurdis*: Si veritates omnes vel saltem morales et religiosas ex traditione humana et revelatione divina derivandae essent: a) Deus vel non satis nobis providisset quoad statum naturalem, vel revelatio pertineret ad statum hominis naturalem, quod utrumque repugnat: primum divinae providentiae, alterum differentiae inter statum naturalem et supernaturalem hominis; b) Deus revelando verba primis hominibus vel debuisset etiam ideas congruentes et illis et omnibus hominibus infundere, ut verba intelligerent, si quidem non habent nexum ex se necessarium cum ideis expressis; vel debuisset hominibus simul intuitionem veritatis in divina essentia vel intelligentia praebere, quod utrumque reprobandum est: primum, quia ideas innatas inducit; alterum, quia esset error ontologistarum; c) omnis certitudo periret, neque fides ut „rationale obsequium“ iam demonstrari posset; nam ut revelationi divinae fidamus, oportet constare, Deum existere, locutum esse, veracem esse, verba hoc vel illud significare. Similiter, ut traditioni hominum credamus, primum certum esse debet, homines esse, eorum testimonium non fallere, eos hoc vel illud vere tradere etc.

Neve dicas, hoc iterum constare ex revelatione et traditione; esset enim petitio principii vel opinio mere subiectiva.

Lammenais rationem communem generis humani statuens fontem et criterium veritatis, non vidit: 1^o se intellectum humanum supremum iudicem veritatis, etiam revelatae, constituere ac proinde rationalismum inducere, quem oppugnabat: 2^o si singulorum hominum rationem incapacem esse veritatis detegendae putat, neque omnes simul sufficiunt, neque ipse systema suum statuens rationi suae fidere potest. 3^o Si vero rationem communem fingit tanquam absolutum aliquid transcendens omnem humanum intellectum, in ontologismum vel pantheismum incidit. — Unde eius sententia iure ab ecclesia reiecta est; 1) similiter sententia a Bonetty proposita 1855.

Obi. 1. Homo ex natura sua est socialis; ergo non potest eius mens evolvi nisi in societate; dist.: perfecte — conc.; simpliciter — nego.

1) Cfr. Constitutionem de fide cathol. c. 2, n. 1635 apud Denzinger.

2. Atqui simpliciter evolvi nequit; nam historia docet pueros expositos in solitudine brutis similes fuisse quoad mentem¹⁾; dist.: nullas habebant vel aliquando habuissent ideas — nego; non habebant ideas perfectas vel sermone destituti non perfecte exprimere poterant — conc.

3. Atqui nunquam soli ideas formavissent; nam obiecta spiritualia magis a nobis sunt remota, quam sensibilia non praesentia, quae percipi nequeunt; dist.: si in nobis non esset vis abstrahendi ab obiecto sensationis — trans.; alias — nego.

4. Atqui saltem primus homo debuit recipere linguam a Deo ac proinde etiam ideas verbis respondententes; dist.: debuit recipere mentem perfectam et dispositionem loquendi — conc.; debuit recipere ipsam linguam simul cum ideis. subd.: forte ex Dei gratia — trans.; ex necessitate status naturalis — nego.

Scholion de origine linguae. 1. Sensistae linguam derivant ex imitatione naturae (onomatopoesis), Darwinistae cum Epicuro ex interiectionibus subiectivis, successiva brutorum evolutione, recentes multi duce Max Müller²⁾ ex sonis naturalibus labores hominum comitantibus (theoria synergistica). Sed scientia linguistica³⁾ docet: a) radices linguarum neque esse imitationem sonorum naturalium, neque expressionem affectionum subiectivarum; immo voces ex utroque illo fonte derivatas esse paucissimas neque aptas, ex quibus aliae voces formentur; b) linguas antiquissimas ditiores fuisse modernis et copiam radicum et formarum; linguas gentium ferocium saepe nostris esse superiores copia flexionum et modorum; d) constat, radices linguarum antiquissimarum esse verba abstracta (infinitivos) ab actionibus hominum et qualitativis rerum sensibilibus; e) immo constat, quasi omnia verba non individua significare, sed esse universalialia.

2. Patet igitur, operationem abstractivam mentis, i. e. ideas abstractas linguam praecessisse eamque inde ortam esse quoad id quod exprimit. Iam vero quum voces sint signa arbitraria totque sint linguae diversae tum quoad radices, tum quoad formationem verborum et constructionum, constat homines *libero arbitrio* elegisse certas voces formasque loquendi ad ideas suas significandas. Ex hoc autem non sequitur, homines in linguis formandis nullam legem secutos esse; immo linguae in verbis tum formandis, tum inter se construendis certas leges observant et quidem aliae alias. Libertas enim non excludit leges, sed solum necessitatem physicam operandi.

3. Linguae, quum tam mirum sint mentis instrumentum, tamque sapientes leges sequantur et iam ab initio tam perfectae appareant, quaeritur, utrum homo ipse eas invenerit et formaverit viribus sibi connaturalibus, an Deus speciali aliquo auxilio concurrerit. Alii necessitatem eiusmodi auxilii Dei praeternaturalis scientiam primo homini infundentis affirmant⁴⁾; alii negant arbitrantes, sufficere primi hominis perfectam sapientiam⁵⁾, aptamque ad loquendum dispositionem et tendentiam naturalem loquendi. Addunt, fundamentum linguae formandae fuisse relationem aliquam nobis non iam perceptibilem inter ideas et sonos.⁶⁾ Utraque sententia rationibus probabili-

1) Simile argumentum formabant ex eo quod surdos-mutos ideis carere putabant, quod falsum est; cfr. Stöckl, *Lehrb. d. Philos.* 7, I, 410. 2) Wundt, *Völkerpsychologie* 1900, I, 1, 247 sq. 3) Cfr. Max Müller, op. I, 344. 4) Cfr. Boedder, *Psychol.* p. 162. 5) Genes. II, 19, 20. 6) Gutberlet, *Psychol.* p. 116—123.

bus nititur; sed distinguendum esse videtur inter quaestionem *facti* et quaestionem *iuris*. De facto enim si fontes revelationis divinae sive traditionis gentium inquirimus, videtur dicendum, Deum primum hominem in statu perfecto constituisse eumque *modo speciali ad linguam tam perfectam* inveniendam adiuvisse. Si autem mera possibilitas linguae inveniendae philosophice consideratur, facultates naturales hominis eiusque natura socialis ad *aliquam* linguam inveniendam sufficere videntur. — Plura de lingua vide in Psychologia, lib. I, c. II, § 2.

§ 3. De ontologismo.

Expositio. Nonnulli philosophi ex eo, quod ens finitum et relativum, ens verum, bonum et pulchrum, ens aliquo modo perfectum cognoscimus, deduxerunt, nos debere primo habere ideam entis absoluti, infiniti, entis perfecte veri, boni, pulchri, entis absolute perfecti, ut possimus inde formare ideas entis finiti, relative veri, boni, perfecti. Ideam autem entis absoluti, perfecte veri, boni, pulchri nos percipere non posse in rebus creatis, sed in Deo solo idque per eius intuitionem. Quam quidem intuitionem alii alio modo explicabant.¹⁾

¹ *Plato* iam, si Aristoteles veram eius doctrinam exhibet, ontologismum aliquo modo praeformavit, dicens, nos rerum veram et certam notitiam non ex perceptione sensuum acquirere, sed ex intuitionem immediatam formarum intelligibilium, quae res visibiles supergredientes, eis essentiam, nobis autem earum ideam actione sua influent.

² *Malebranche* († 1745), cum Cartesio statuens, nos non obiecta immediate percipere, sed ideas, eas nos in Deo intueri affirmat, in quantum in eo sunt omnium rerum ideae exemplares; rerum vero *existentiam* per revelationem divinam nobis manifestari; solam nostram, existentiam per conscientiam immediate nos percipere; nos autem excitari ad ideas in Deo contuendas occasione sensationum.

³ *Gioberti* († 1852) ordinem ontologicum eundem esse ratus atque logicum, primum, quod cognoscimus, Deum ut absolute necessarium esse duxit, primum ontologicum simul esse etiam primum psychologicum et utrumque coniunctum esse primum philosophicum. Deum autem intuentes, etiam actum eius creationis nos apprehendere et in ipso tanquam in causa omnes res creatas. Hanc intuitionem esse directam, obscuram tamen, quae per reflexionem mentis ope imaginum sensibilibus, praesertim verborum, fieret distincta.

⁴ *Rosmini* († 1855) putat, nos initio cognitionis nostrae intueri ens ideale sive possibile, quod in opere postumo declarat esse aliquid necessarii et aeterni in causa sua divina. *Mamiani* († 1885) vero, reiciens ideam entis idealis et intuitionem divinae creationis, nos putat Dei naturam ipsam me-

¹⁾ Cfr. Schmid, Erkenntnislehre, II, 372 sq., qui ostendit, immerito a nonnullis Augustinum, Anselmum, Bonaventuram inter ontologistas recenseri; Henricum Gandavensem († 1293) primum nominat ontologismum, obscuram aliquam Dei, ut est ens perfectissimum analogice conveniens cum rebus creatis, cognitionem statuentem. Cfr. etiam de Wulf, Histoire de la philosophie médiévale, 1905, p. 390 sq.

diantibus tamen ideis finitis cognoscere et per has ideas nos etiam res existentes percipere, ita ut sensationes sint earum occasiones; nos autem existentiam nostram immediate apprehendere. *Ubaghs* Lovaniensis, *Gratry*, *Baader*, *Krause* alique multi speciem quandam ontologismi professi sunt, nos saltem essentiam rerum sive metaphysicam sive physicam vel unice vel principaliter in Deo vel in singulis eius attributis vel saltem in ideis divinis cognoscere statuentes; unde theosophi vocantur; inter se tamen valde dissentiunt.

⁵ *Mystici* docent, nos posse per mentis reflexionem (meditationem) et vitae abstinentiam ad Deum immediate contuendum assurgere, ita ut quodammodo a Deo absorbeamur. Ita docebant veteres philosophi Brahmani; postea Neoplatonici, duce Plotino, emanationem spirituum ex ente absoluto statuentes. Neque defuerunt medio aevo, qui simile aliquid opinarentur, ut Eckhard, Böhme etc. Nostris autem saeculis Schelling, Schleiermacher, Baader, Hegel, Günther simile aliquid sentiebant confundentes fidem cum ratione ac proinde ontologismum et rationalismum simul coniungebant. Neque multum differt sententia ab E. v. Hartmann propugnata, ens absolutum inconscium occasione sensationum ideas universales et cognitionem principiorum, categoriasque in nobis efficere.¹⁾

Thesis III: Intuitio Dei naturalis ut principium omnis cognitionis nostrae est respuenda.

St. qu. Non negamus, Deum posse per se ipsum et immediate illustrare mentem nostram et posse fieri obiectum visionis nostrae. Sed negamus, hoc fieri in statu naturali cognitionis nostrae et ut incipiamus intelligere.

Prob. 1. Ex natura cognitionis humanae²⁾: Constat a) obiectum primum et proportionatum cognitionis nostrae esse immateriale in re materiali, ita ut deficiente sensu etiam ideae obiectorum ad hunc sensum pertinentium deficient. b) Porro constat, nostras de Deo, de ente absoluto, infinito ideas esse analogicas et partim negativas, rerum autem materialium, sensibilibus esse proprias et positivas.³⁾ *Atqui* in sententia ontologistarum obiectum primum et proportionatum mentis nostrae deberet esse Deus sive ens absolutum vel ut exemplar rerum creatarum, vel ut earum causa creatrix, vel ut in perfectione sua omnia continens; conceptus Dei, entis absoluti, infiniti deberet esse proprius et positivus, si quidem esset fundamentum aliarum idearum, neque posset esse dubium de Dei existentia. *Ergo* illa intuitio divinae naturae ut fundamentum omnis cognitionis est reprobanda.

2. Ex conscientia: Principium cognoscendi et criterium omnis veritatis debet nobis esse notissimum et maxime clarum. *Atqui*

¹⁾ Cfr. Drews, E. v. Hartmanns philos. System, 1902, 259 et 770 sq. Cfr. Dialecticam p. 28, not. 2.

²⁾ Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 84, a. 4 et 5. ³⁾ Cfr. infra lib. III, c. II.

constat per testimonium conscientiae, nos non habere intuitionem Dei naturalem, et si quid volumus intelligere vel probare, nos non recurrere ad Dei intuitum, sed ad testimonium sensuum vel ad principia rationis evidentia. — Neve obicias cum Platone et Gioberti, illam intuitionem esse obscuram et propter consuetudinem elabi ex conscientia; nam saltem per reflexionem possemus eius conscientiam revocare, praesertim cum in sententia ontologistarum Dei intuitio sit *principium* et *criterium* omnis veritatis. Ergo ontologismus repugnat conscientiae.

3. *Ex natura idearum*: Constat, conceptus nostros esse universales neque res individuales significare. Atqui in cognitione Dei res non existunt modo universali, sed individuali, in divina autem essentia res formaliter non existunt, sed tanquam in radice; unde neque modo individuo neque universali ibi cognosci possunt. Neque est relatio *realis* inter divinam cognitionem sive divinam voluntatem eiusque actus et res *existentes*, ac proinde hae cognosci non possent, etiamsi haberemus intuitionem divini intellectus, ut censet Malebranche, sive divinae voluntatis creantis, ut vult Gioberti, sive divinae naturae, ut statuit Rosmini quoad rationem entis. Ergo intuitio Dei inutilis esset nobis, sed vis abstractiva est admittenda.

4. *Ex absurdis*: Si ideas universales in Deo immediate perciperemus: a) facile *pantheismus* induceretur; nam id quod ideae universales exprimunt, per *identitatem* de rebus praedicamus; et tunc intellectus divinus dicendus esset lumen naturale mentis nostrae et vices gereret specierum intelligibilium, quod naturaliter impossibile est; b) ordo naturalis et supernaturalis confunderentur; nam fides docet, intuitionem Dei esse gratiam supernaturalem neque nisi in coelo possidendam.¹⁾ c) *Plato* statuet intuitionem formarum intelligibilium non potest explicare cognitionem rerum materialium, individualium, existentium. *Malebranche* docens intuitionem divinarum idearum non potest explicare universalitatem idearum nostrarum et cognitionem rerum existentium; *Gioberti* ex cognitione voluntatis divinae creantis non potest explicare cognitionem rerum possibilium et universalitatem idearum; *Rosmini* ex idea entis idealis non potest deducere cognitionem rerum existentium neque individualitatis neque distinctionis rerum; *E. v. Hartmann* tandem cognitionem nostram omnino explicare nequit ex ente suo absoluto *inconscio*: esset enim effectus (conscientia) sine causa sufficiente; et repugnat conscientiae nostrae, quae testatur, nos ipsos cognoscere, nos errare,

¹⁾ Quare opera Malebranchii et Gioberti in indicem relata sunt et septem theses ontologistarum (Brancherau, Hugonin, Ubaghs) die 18. Sept. 1861 a s. officio indicantur, quae tuto defendi non possint (Cfr. Schmid, Erkenntnislehre, II, 467).

non ens absolutum; privat hominem sua substantialitate et gratis systema suum adstruit. Ergo omnes illae sententiae ontologistarum sunt erroneae. Neque dici potest cum nonnullis, nos non videre Dei essentiam, sed solum ideas divinas vel actum creandi existentias; nam illas ideas illumque actum aut video, ut sunt aliquid in Deo, aut ut sunt terminus divinae actionis. Si primum, necessario Dei essentia et natura videtur; nam quidquid in Deo est, realiter idem est cum eius essentia; sin alterum, non video iam res in Deo, sed in se ipsis ac proinde totum ruit systema. Ergo sententia ontologistarum est reprobanda.

5. *Ex falso supposito*: Principale argumentum ontologistarum est universalitas et necessitas idearum, quae ex rebus individuis et contingentibus, praesertim ex sensatione, abstrahi non possit; porro res tempore, perfectione, viribus finitas non posse concipi nisi per relationem ad infinitum; tandem neque sensus neque intellectum nostrum res ipsas immediate attingere posse. Atqui essentia metaphysica rerum eadem est in singulis individuis eiusdem speciei e. g. homines sunt eodem modo omnes animalia rationalia, haecque essentia est immutabilis et negative necessaria; porro optime possumus res finitas ut tales cognoscere, si quidem earum fines apprehendimus e. g. in nobis ipsis, quin ad Deum infinitum recurramus; idemque et sensus et intellectus obiectum eis proprium immediate attingunt. Ergo tota sententia ontologistarum falso nititur fundamento.

Coroll. Patet, a fortiori mysticismum esse reiciendum, quia repugnat naturae cognitionis nostrae. Supponit cognitionem sensitivam potius esse impedimentum quam adumentum cognitionis intellectualis, viamque aperit subjectivismo, fanaticismo, qui ut historia mysticismi docet, freni expers non raro in vitia et libidines praeceps fertur.

Obi. 1. Sed Patres ecclesiastici saepe dicunt: a) nos omnia in Deo cognoscere; dist.: causaliter — conc.; formaliter — nego.¹⁾

b) Cognitionem Dei nobis a natura insitam esse; dist.: quia facilis est cognitio Dei — conc.; per intuitionem — nego.

2. Atqui Deus intime menti nostrae praesens est: dist.: ut creator et conservator — conc.; ut obiectum immediate cognitum — nego.

3. Atqui etiam ut obiectum immediate cognitum, quia Deus est primus in ordine essendi, et ordo cognoscendi debet respondere ordini essendi; dist.: quoad veritatem cognitionis — conc.; quoad originem cognitionis — nego.

4. Atqui etiam quoad originem cognitionis; nam omnes cognitiones ad primam aliquam veritatem reducendae sunt; haec autem est Deus vel ut exemplar mundi, vel ut creans mundum, vel ut perfectione sua omnia continens; dist. antec.: veritates omnes reducendae sunt ad aliquam primam in ordine ontologico — conc.; in ordine logico, subd.: reductive tanquam ad

¹⁾ Cfr. S. Thom. C. Gent. III, 47, verba S. Augustini explicantem.

criterium, sive ad unum principium formale — conc.; tanquam ad unum fontem, sive ad unum principium materiale — nego.

5. Atqui ex eodem fonte divino etiam logice omnes cognitiones sunt deducendae; secus in cognoscendo non essemus prorsus dependentes a Deo; dist.: neque mediate neque immediate — nego; non immediate; subd.: logice — trans.; physice — nego.

6. Atqui debet esse immediata dependentia logica; nam conceptus nostri habent obiectum universale, aeternum, necessarium, quod non potest esse nisi Deus; dist.: abstractivum universale, negativum aeternum, necessarium — conc.; positive et in se — nego. Quare argumentum retorqueri potest. Quidquid in Deo est, positive est aeternum, necessario existens, maxime concretum. Atqui obiectum idearum nostrarum non esse nisi negativum aeternum et necessarium et abstractum. Ergo non in Deo videtur.

7. Atqui conceptus infiniti non potest hauriri ex rebus finitis; dist.: conceptus infiniti proprius, directus, adaequatus — conc.; analogicus, positivus, negativus — nego.

8. Atqui saltem entia limitata, contingentia non cognoscuntur, nisi per ens infinitum, necessarium; dist.: non possunt esse sine ente infinito, necessario — conc.; non possunt sine illo cognosci, subd.: adaequate — conc.; inadaequate — nego. — Confundunt ens universale, indefinitum cum ente infinito maxime perfecto et concreto.

9. Atqui debet esse concordia inter philosophiam et theologiam; dist.: nulla potest adesse oppositio — conc.; debent adesse eadem methodus, eademque principia — nego.

Caput II: *Ideae primitivae non oriuntur ex causa nobis prorsus intrinseca.*

§ 1. De ideis innatis.

Expositio: Quaeritur, num anima intellectiva ex se sit determinata ad omnia vel ad quaedam obiecta repraesentanda, quin aliunde hauriat illas notitias, quod quidem multi philosophi et veteres et recentiores affirmant.

1^o *Plato* († 348)¹⁾ negans, nos acquirere rerum cognitionem universalem ex sensatione, essentias rerum putavit esse formas quasdam non sensibiles, ad modum substantiarum existentes, quas immediate perciperemus. Cognitionem autem illam iam latere in mente nostra ex vita aliqua mere spirituali antemundana, neque indigere, nisi ut excitetur, quod fieret occasione sensationum.

2^o *Cartesius* († 1650) arbitrans, nos per sensationem non percipere nisi affectiones nostras bonas vel malas, similiter docebat nos sensibus nullam realitatem obiectivam cognoscere; immo animam solam sentire, corpus essentialiter extensum esse quandam machinam licet subtilissimam. Quamvis „supervacuam entitatum scholasticarum supellectilem“ reicere vellet, tamen statuit, „nihil esse in ideis nostris, quod menti non fuerit innatum“ quia

¹⁾ Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 84, a. 3 et 4; de veritate, qu. 10 a. 6.

conceptus nostri universales necessarii ex rebus individuis, contingentibus hauriri non possent; sensus autem nihil certi referre, quia non constaret, eos neque decipere neque decipi. Ideas igitur ex sensatione acquisite — sensationem soli animae tribuit — vocat *adventitias*; illas autem, quas arbitrarie formamus, *factitias*. Praeter illas statuit ideas *innatas*, quas habet omnino veras et fundamentum cognitionis nostrae. Sic ideam Dei, nostrae existentiae, felicitatis, immo ideas omnes necessarias, etiam motus, extensionis¹⁾ etc. innatas nobis esse existimabat, quamvis difficultatibus pressus nonnunquam rem alio modo explicare videatur.²⁾ Ideas vero excitari putat sensatione praesente propter intimam unionem animae cum corpore et quandam „Dei assistentiam“. Animam semper cogitare affirmabat, in actu cogitandi eius essentiam collocans,³⁾ sicut essentiam corporis in eius extensione.

3^o *Leibnitzius* († 1716)⁴⁾ eiusque discipulus *Wolff* († 1754) „virtualitates, inclinationes sive dispositiones occasione sensationum actuandas“ statuebant. Unde Leibnitzius monadibus, i. e. entibus simplicibus, a Deo creatis, quibus res omnes et ipsam animam constare putabat, perceptionem mundi universi tribuit congenitam, non solum intellectualem, sed etiam sensitivam, quae perceptio, primo confusa et inconscia, magis magisque explicaretur et distincta redderetur eo, quod sensatio externa accederet. Perceptionem quidem illam semper adesse actu in mente, quin tamen eius conscii simus; fieri autem *apperceptionem*, i. e. fieri eius conscientiam per sensationem. Sensationem autem non positive influere in perceptionem excitandam, sed per harmoniam quandam, ab auctore naturae praestabilitam, sine ullo mutuo influxu cum qualibet sensatione oriri congruentem perceptionem intellectualem. Animam sentientem non res ipsas percipere, sed suas ideas; neque enim habere fenestras, per quas res ingredi possent vel per quas ipsa prospiciat. Distinguit, veritates necessarias (*vérités de raison*), quae in Dei intellectu, et contingentes (*vérités de fait*), quae in Dei voluntate fundentur; illas principio contradictionis, has principio rationis sufficientis contineri tanquam ultimis principiis logicis.

4^o *Rosmini* († 1855) unam solam ideam entis eamque entis possibilis innatam esse putat, quae supponatur in omni conceptu et in omni iudicio, neque fieri posse abstractionem nisi per iudicium. Hanc ideam entis applicari sensationibus, et hoc modo formari conceptum concretum rei existentis. Deinde abstractione facta a rei existentia, formari conceptum universalem et tandem abstrahendo a rei notis individuantibus, fieri conceptum abstractum. — Addendum est, animam, si credimus Rosminio, in sensatione non percipere nisi affectionem corporis, non obiectum externum; unionem eius cum corpore fieri eo quod sentit corpus, et percipiendo hanc unionem sub ratione entis, unionem hanc fieri intellectualem.

5^o Praeter enumeratos alii multi et philosophi et physici ideas statuunt innatas, immo et principia. Ita *Kant*, de quo plura infra dicentur; *Schopen-*

¹⁾ De methodo, c. 4. ²⁾ Respons. ad obiect. tertias; cfr. p. 141, 239. ³⁾ Cfr. *Willmann*, *Gesch. d. Idealismus*, 1897, III, 232 sq. ⁴⁾ *Nouveaux essais sur l'entendement humain* I, ch. 1, § 1, 5 etc. *Monadologie* § 7 sq.; cfr. opera philosophica Leibnitii, editio Erdmann 1840; editio Gerhard 1875—1890. Cfr. *Willmann* l. c. p. 256 sq. *Busse*, *Die Weltanschauungen der grossen Philosophen der Neuzeit* (Aus Natur und Geisteswelt B. 56).